

Dissertatio medica inauguralis, de menstruis retentis ... / [Williams Smibert].

Contributors

Smibert, Williams.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Hamilton, Balfour, et Neill, 1762.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bbvj2vzj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

DE

MENSTRUIS RETENTIS.

DISSERTATIO MEDICA

DE

MENSTRUIS RETENTIS.

9

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MENSTRUIS RETENTIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

WILLIAMS SMIBERT,

Massachusetenfis in Nova Anglia.

Ad diem 25 Octobris, hora duodecima meridiana.

Misera profecto, et iniqua foeminarum conditio, a, quae humani generis conservatrices, a natura, destinatae sint, eadem, morbis maxime obnoxiae, effingerentur.

FREIND.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

M,DCC,LXII.

AMICO SUO INTEGRISSIMO

CONCORDISSIMO AMANTISSIMO

JOANNI MORFAT

VIRO NOB. TITULO, SED VITAE ORNATISSIMO

QUI EXTINGUITO SAEPE PATRIBUS VIRE ANIMO

SI SUAVI

ATERRIBUS ANIMIS CURAVIT SEQUITUR CUSTODIIT

NE NON

TRATI SUAVI

VIRO INTEGRISSE, FRUGALISIMO

THOMAE MORFAT M. D.

STUDIORUM SUORUM RECTORI HONORATISSIMO

FAVOREM DIGNISSIMO

MAXIMIS TENDITIO IN ANIMO

HUC PRIMUM PERVENI IN ANIMO

PRO DEBITA VITAE SUAE

DIVITIAM TIBI

WILLIAM S. SMIBERT

DISSERTATIO MEDICA,

DE

MENSTRUIS RETENTIS,

EMORBIS, qui genus humanum affligunt, alii maribus cum feminis communes sunt, aliis alter tantummodo sexuum subjicitur. Mulieribus proprii, complicati magis et numero plures, inveniuntur, quam quibus soli viri laborant. Cujus rei, saepe in illarum propria corporis fabrica, saepissime in eo, quod natura comparatae sint, ut menstruorum fluxum patiantur, causa consistit.

ITAQUE illum, in omni morbo quo premuntur mulieres, prae caeteris respici oportet. Cujus naturam qui ignorat, is vix auxilii aliquid iis, quovis fere malo tentatis, poterit afferre. Utpote cum perpauci sint mor-

A

bi,

bi, quin vel toti, vel aliqua ex parte, e pravo menstruorum habitu, oriantur. Ut, in omnibus curandis, menstruorum notitiam pernecessariam esse, fatendum sit. Ad hoc, cum nihil periculosius sit, aut arte et cura medici majore egeat, quam menstruorum retentio; de hac, cum illustrium scholarum legibus obtemperans, tum amabilium afflictarum misericordia motus, scribendum putavi.

SED prius quam hoc aggrediar, pauca de uteri fabrica, positura et connexu, nec non de menstruorum statu naturali, dicam.

MARIUM et feminarum ossium compagem contemplanti, multa in conspectum dantur, haud obscura discrimina; manifestius nullum quam in pelvi; ubi ossa, quibus haec constat, magis in feminis quam viris, inter se distant, et spatii plus in medio reducta relinquunt; hoc consilio, ut gravidarum paulatim se distendenti utero locus sit, atque inter pariendum partui liberior exitus.

IN pelvi positus est uterus, intestino recto incumbens, et vesicae urinariae, tanquam inter duo pulvina, subjacens; cui ossa pelvis undique

undique circumdantur, ne quid externi eum laedat.

LATERIBUS pelvis eum ligamenta lata, pubi rotunda, adnectunt; nec adeo tamen arcte, ut omni motu privetur. Etenim facilis supra summam pelvim, in gravidâ, utero est ascensus.

IPSE mollis, spongiosus, succo abundans, compressus, facile distensibilis, subelasticus, penitus fere vasis sanguiferis ei intertextis; cum paucis fibris muscularibus passim per eum, magisque circa fundum, vagantibus; nec ita tamen, ut citra morbum, aut, nisi partus jam multum intus increvit, cerni haec oculis queant.

VASA sanguifera, e spermaticis, hypogastricis ac haemorrhoidalibus mediis, oriuntur; et saepissime, cum ad uterum jam accedant, inter se utrinque osculantur, cursu serpentino per intimam uteri texturam se insinuant, frequenti anastomosi junguntur, miris circuitibus contorquentur, quos culter anatomicus nequit explicare.

ARTERIAE sanguine plenae venis multum dissimiles; haec firmiores et rigidiores, valvulis

4 DE M E N S T R U I S

lis carent ; illae laxiores et ampliores plane apparent.

PRIUS quam in venas terminantur arteriae, ramos, a lateribus ad cavum uterum inumque, transmittunt.

DUPLEX utero est tunica, externa a peritoneo, interna ab epidermide reflexâ, veniens. Haec adeo tenuis est, ut cerni vix queat, praesertim in fundo ; ubi infinitis prope foraminulis transfigitur ; ad cervicem in rugas abit.

NERVI ejus, a lumbaribus, sacris et sympatheticis maximis, ablegantur.

MAGNITUDO uteri variis temporibus variat, pro ratione corporis, aetatis, veneris. In virgine intacta, duos in fundo digitos, unum in cervice, in latitudinem patet ; tres in longitudinem latera ; crassitudo digiti dimidium aequat. Et quo saepius gravida fuit mulier, eo in majus is crescit.

ATQUE, de positura, fabrica connexuque uteri, haec ad rem illustrandam, sufficiant, ad quam prius quam progrediar, quaedam de statu sano et naturali menstruorum attingenda, quo morbi eorum melius intelligantur.

NIHIL in natura hominis difficilius explicatu occurrit, vel, de quo magis inter se differunt medici, quam menstruorum natura, de qua nunc agendum est.

HANC per se obscuram quidem, obscuriorem reddiderunt, variae rationes et hypotheses a viris praeclaris fictae; quorum sententiis cum assentiri non possim, tamen temere rejiciendas non putavi.

PRIUS autem quam, quid probabilius mihi videatur, explicem, alienum a proposito non erit, cum sententias modo dictas singulas, tum, quae contra objiciuntur, argumenta exponere, ut deinde nostram opinionem quam brevissime interponam.

ANTIQUORUM plerique, et inter recentiores nonnulli, tam fluxui menstruorum, quam aestui marino, lunam praeesse, crediderunt. Quod si esset verum, omnes mulieres, in eadem regione, sub eodem coelo habitantes, si aetas quoque et corpus idem contingeret, ut iisdem temporibus vicibusque ad menstrua cicerentur, necesse foret. Quae opinio minime vera esse videtur.

ALII ad fermentum in uteri vasis hoc retulerunt. Sed cur statis solum temporibus fermentum illud excitaretur, nulla ratio reddi adhuc potuit. Quaeque, id omnino esse doceant, argumenta pariter et experimenta defunt.

SUNT quoque, qui, menstruorum fluxum a totius corporis pleniore habitu ortum, opinantur. Quam opinionem verifimiliorem esse fateor. Inter alios, quibus haec conjectura nuper placuit, maxime eminent acri ingenio vir, insignisque ille Medicus FREIND. Hic per totum librum, qui de emenalogia inscribitur, hanc rationem excolere summo opere laboravit. Nec negandum quidem est, adultas mulieres sanguine magis, quam viros, abundare. Verum et hanc rationem haud pauca levare videntur. Siquidem sic effluentium humorum copia, intus retentorum debitam rationem, non semper habet. Siccis et macris pariter, ac sanguine et succo abundantibus, contingit: Nec quantumvis humorum corpore aliàs emissum, quo minus hic fluat, prohibere fere potest.

IN tanta totius corporis humorum copia, quod emissum fuit, adeo tantillum est, ut plethoram parum minuere possit. Quod si solito majus demptum est, totum tamen intra triginta dierum spatium reparabitur. Adeo enim duas haeminas, vel uncias xx, ut HIPPOCRATES, FREIND, aliique multi conjecerunt, menstrua non emittunt; ut certe hac in regione, si sana mulier est, unc. iv. vel viii. ut plurimum, non superent.

PORRO, si totius corporis plethora hic fluxus nascitur, bestiis quoque idem contingere debet, cum et horum feminae pariter laxis corporibus sint, ac humanae; et in uteris utrarumque eadem vasorum ratio inest; ut nihil igitur obstare videam, quia pariter pleno sint corpore illae, ac nostri generis feminae. Simiae quidem menstrua fluent. Sed turpissima quamvis haec sit bestia, tamen forma, gestu, sagacitatis quadam imagine, et aliis rebus, cum, solerti imitamine, genus humanum, aequet, minus hoc mirum videbitur.

RESTAT altera insuper sententia, scilicet, menstrua a plethora in uteri vasis oriri. De qua SIMPSONUS nostras, et, in suis praelectionibus

nibus de BOERHAAVII institutionibus, doctus HALLERUS fufius, differuerunt. Haec autem, a mulierum fabrica et habitu, fingularique ipfius uteri ftructura, maxime pendet.

CUM virilem et muliebrem figuram perluftramus, inter infimae pelvis muliebris extrema, trium partium diftantiam reperimus; eandemque, inter extremos thoracis terminos, tantum duarum effe. At in viris contrarium fit; horum enim thoracis, tres, pelvis, duas partes, extrema, inter fe diftant.

MEMBRA feminea, molliora, planiora, decora magis, quam mafculina, funt. Quod infigniter apparebit, fi HERCULEM FARNESIANUM cum VENERE MEDICEA conferas, qui, cum ob partium elegantiam, proportionem, et pofituram; tum, propter hanc diverfitatem, et mufculorum expreffionem, jure laudantur.

SOLIDA refoluta et diftenfilia funt, humores maxime diluti, et folidorum pondus excedunt, pulfus celerior et debilior; nervi irritabiliores, et convulfionibus animique motibus obnoxiores, in feminis quam viris.

CELEBERRIMUS

CELEBERRIMUS WINTRINGHAM, per experimenta sua, discrimina quoque maxima in vasis sanguiferis, clare demonstrat. Foeminarum arterias, toto corpore laxiores, et capaciores, quam marium, invenit. Et, quo propius ad uterum accedant, hanc laxitatem, et amplitudinem etiam insigniorem esse: Porro, quo plus vehant sanguinis, eo magis earum latera debilitari: Contraque, minus capaces venas, densiores earum tunicas, reddi. Arteriae hypogastricae, in iisdem, quam in viris, capaciores, et pari, qua uterus, ratione, in magnitudinem crescunt.

QUAE omnia argumenta, majorem sanguinis copiam ad pelvem foeminarum, quam virorum, derivari, clarissime probant.

QUIN et idem magis videbitur, si ad situm et fabricam uteri respiciamus, (quorum contemplatio, in fluxum menstruorum inquirentibus, peropportuna videtur,) si, inquam, quod de uteri situ, in pelvi ampla, nulla hanc re premente, dictum est, id conferamus, cum textura illius facile extensili, arteriis laxis, et capacibus, venis minoribus, rigidioribus, valvulam nullam habentibus, u-

trisque mirifice intertextis, et mutuo contortis, nec, muscutorum abdominalium, inter spirandum, aut arteriarum magnarum, ad sanguinis reditum citandum, actioni, multum subjectis; si consideremus, ipsas arterias in utero perexigua vi praeditas esse, in sanguine citando, quibus distractis, venas e contrario premi; ad haec, si arteriarum et venarum inter se proportiones, antequam ad uterum appropinquant, cum totius habitûs laxitate, et succulentia, comparemus; et omnia, quae jam enarrata sunt, animo cum cura perpendamus; nihil obstare video, quo minus, hunc fluxum, a peculiari uteri vasorum repletionem, oriri, fateamur. Et, quanquam sanguinis minimum, per aortam et arterias iliacas, transfret, hoc semper contingere tamen potest; quoniam uteri vasorum situs, ad sanguinem recipiendum, tam accomodatus est. Nam adeo rectam ab aorta et iliacis tenent viam, ut tantum sanguinis, quanto ipsa impleantur, non recipere, non possint. Sanguini autem semel recepto, reditus patet nullus. Arteriae laxae satis facile dilatantur, nec subito tamen nimis, ob multas earum, per substantiam uteri, convolutiones.

convolutiones. Venae tenues, rigescentes, valvulis privatae, sanguinem per illas redeunt-em, aequè cito, ac arteriae requirunt, impellere nequeunt. Quam ob causam, sanguis accumulatur, et prorumpere nititur. Tum arteriae exhalantes, quae distensiliores sunt, impulsui paululum cedunt, et partem sanguinis ferofam facile intro accipiunt; cujus ex stimulo infueto, frequentiores ad oscillationes, excitantur. Tandem exitus datur, et mox ruber sanguis consequens, in uteri cavum, defluit.

MAJOR minorve, pro mulieris habitu, sanguinis copia, per tres, ut plurimum, dies, fluit; donec arteriae onere leventur. Quo tempore, sensim sese arteriae exhalantes contrahunt, iterum, rubro sanguini transi- tum, negant. Post cessat serofitas, fluxus omnis desinit, usque ad proximum periodum, cum sanguinis in utero iterum justa copia colligitur. Id quod, post vigesimum octavum, vel tricesimum diem, fere evenire, solet.

HIS in regionibus septentrionalibus, anno decimo quinto, vel sexto, primum fere menstrua se ostendunt, et, circa quadragesimum quintum, vel quinquagesimum, desinunt:

Ita

Ita tamen, ut, pro variis regionibus, singularum mulierum varia temperie, vitaeque ratione, plurimum varient. Nec prius cessant, quam, partui amplius aptae, mulieres non sunt.

HAEC sanguinis ad uterum derivatio, sapienti numinis consilio, fit, ut in promptu sit, quo partus alatur, et augeatur. Cumque opus non est hoc fluxu, per vasa uterina, corpore ejicitur.

QUAMDIU, debitis temporibus ac justa copia, menstrua procedunt, omnium aegritudinum expers aliqua erit: Sed, e retentis, vel tardioribus factis iisdem, innumerabilia prope mala, gigni solent. In quae, cum, quae prius dicenda videbantur, jam dicta sint, protinus inquiram.

MENSTRUORUM retentio, a scriptoribus, in tres partes dividitur. In eam, quae Emanatio dicitur, in Obstructionem, atque in Suppressionem.

EMANSIONE dicitur laborare aliqua, cui, debita aetate, fluere, menstrua nondum coeperunt.

QUOD si, postquam inceperunt, subito retenta sunt, obstructio, audiunt.

UBI totus hic fluxus, et diu, occlusus est, suppressio nominatur.

MENSTRUUM retinere potest triplex causa; vasorum uteri constrictio spasmodica; vel eorum actio languida nimis, et hebes reddita; vel denique corporis habitus justo plenior, humoribus nimis abundans, atque ad plethoram vergens. Quae omnia facile quisquam intelliget, qui reputat, mulieres natura in plethoram procliviores esse; universos earum nervos mobiles, et ex minimis causis irritabiles; ipsasque, omnibus affectuum spasmodicorum generibus, obnoxias fieri. Unde iis usu venit, ut plurima, quae casu fiunt, quaeque, robustiores vel hujus sexûs, vel mares, parum movent, longo morborum ordine, eas exerceant. Menstruorum subito retentorum causae *προκαταρκτικαί* praecipue sunt, subitum frigus, ambulatio nudis pedibus humido in solo, frigidus et humidus aer, subiti et vehementes animi motus, quales ira, terror, aliique sunt: Quae teneri corporis eorum fabricam concutiunt; unde subita vasorum constrictio sequitur, hoc retentionis genus, saepissime gignens.

VIM vitae debilitant, aut inertem reddunt, nimius calor, frequens balneum, animi dolor, sicut et spasmi, frequentiores si ante fuerunt; ut HOFMANNO quidem placet; cujus haec sunt verba; “ Quo vehementior est spasmus, et quo diutius partem affligit, ac major atonia, imbecillitas ac virium resolutio relinquitur.” Reque vera, post accessiones hystericas, insultus epilepticos, aut omnium generum convulsiones, hoc praecipue fieri, manifesto videmus. Quorum singula, tametsi varia agunt ratione, non minus, quam aliae jam memoratae, causae hujus morbi esse solent.

ITAQUE spasmus cum debilitate, cum uteri vasa, tum reliquum corpus, occupantes, hanc retentionem saepe, efficiunt. Haec vitae vim adeo debilitat, ut cor, arteriaeque, sanguinem per uterum, citare nequeant; ille uteri vasa ita constringit, ut per ea sanguinis rubri transitus negetur.

MENSTRUA quoque retinere plethora potest; quod SANCTORIUS, aliique plurimi observarunt, et quotidiana experientia confirmat. Nam mulieres, quae minus perspirant, magis domi se conclusas tenent, corpora,

pora, ut fit, parum exercent, plethorae quoque, viris, obnoxiores sunt. Quae simul ac esse coepit, cor et pulmones, cum universis corporis vasis, adeo turgent, et infueto onere gravantur, ut omnium actio multum impediatur; sanguisque, eorum vi citante, minus adjutus, tardius per caetera feratur; cum vero, ad uteri torta, angusta, flexuosa vasa, is demum pervenit, motum servare, et obstantia superare, nequeat.

MULTAE praeter has hujus morbi causae sunt; inter alias, hymen imperforatus, oris tincae, et aliarum uteri partium, callositas, et cicatrices, mala, quae pravam curationem, vel aliquos inter pariendum casus, sequuntur, schirrhi, cancri, aliique uteri tumores. Quin et aliis hic morbis nasci potest. Quae ubi fiunt, unicuique propriam curationem singula desiderant, ut, a proposito nostro alienum, sit, diutius in iis immorari. Siquidem, de sola subita retentione, scribendum statui.

S Y M P T O M A T A.

·DIFFICILLIMUM esset, et taedii plenum, opus, retenti menstruorum humoris omnia mala, explicare vel enumerare ; quae omnia, pro corpore, pro natura, et vi morbum excitantis causae, denique pro variis morbi temporibus, variant. Consuetissima signa sunt, dorfi, lumborum, capitisque dolor, vertigo, oculorum cum gravitate dolor, anxietas, et locorum circa praecordia tensio, spiritus difficilis, tumor mammarum, oedematosi crurum tumores, totius corporis lassitudo, cibi fastidium, pallor : Interdum cruenti vomitus, et, sanguinis, e ventriculo, pulmonibus, aliisque partibus, fluxus, comitantur, syncope, convulsiones, animi deliquia, cum tota hysteri-
corum malorum serie.

Hoc in loco monere oportet, non, pro morbo semper, nec ullo discrimine, habendam esse menstruorum retentionem ; ne quis, falsa specie deceptus, retentionem ex gravitate supervenientem, naturae opus, pro morbo habeat, et fluxum reducere infausto
omine

omine conatus, partum in alvo, cum magno matris periculo, necet. Atque ad hoc animus eo magis attendendus est, quod graviditati, cum retentis menstruis, plurima sunt communia, quae difficile dignoscuntur, et, summam ingenii acumen, diligentissimam mentis observationem, requirunt, ut omnia is recte animo comprehendat. Quoniamque, ab ipsa muliere, multa petenda sunt, hanc rogitare, et singula seorsim perpendere, atque, ut verum exploratum habeat, inter se deinde conferre, debet.

ATQUI quaedam signa habentur graviditati magis propria; prius tamen, quam morbum esse dicamus, omnia comparanda sunt, quo certior nobis omnium notitia sit. Uteri gravidi signa praecipua sunt, cohibita menstrua, nulla causa apparente, praeter suspicionem conceptûs, vomitus matutini, et post cibum assumptum, abdomen magis atque magis distentum. Postremo, recedentia haec incommoda, prout graviditatis signa procedunt, maximeque, cum partus, in alvo se movere, jam sentitur.

ITAQUE, signa menſtruorum cohibitorum enumeravi, quae inter, et incommoda gravidis conſueta, diſcrevi. Jamque reſtat, ut, ex propriis animantis legibus, explicentur: Id quod, quam breviffime, abſolvam.

R A T I O S Y M P T O M A T U M .

Dorſum cum lumbis dolent, ob vicinitatem, et nexum eorum, cum vafis et nervis uteri; quaecumque enim cauſa retentionis fuit, hae partes, primo et proxime affici, ſolent, ut, vel e conſenſu, vel quod locus propinquus eſt, dolor oriri queat. Utque ſanguinis motui obſtantia omnia, partes diſtendunt, ita hic partes diſtenduntur, ac nervorum fibrillae diſtrahuntur. Ergo dorſum et lumbi, ſed et aliae partes, per quas ſanguis ad uterum fluit, neceſſario dolebunt.

Capitis dolor, vertigo, et, cum dolore, oculorum gravitas, ſanguine, per inferiora effluere, ſolito, nunc, per totum corpus, cumulato, naſcuntur. Hinc ſuperiorum vafa, inſolitâ ſanguinis copiâ, diſtendi, et cerebri officia turbari

turbari possunt. Distentis autem vasis, nervisque affectis, caput dolebit, et vertigine exercebitur, dolebunt oculi, et gravitate prementur. Quin et, capitis dolorem ac vertiginem aliàs, consensus, qui capiti cum ventriculo intercedit, excitare potest. Etenim, insuetâ sanguinis vi ad eum confluentis, ventriculi quoque officia coeperunt turbari. Postremo, haec omnia, cum compluribus aliis incommodis, ex consensu cum utero, gigni quoque, verisimile est. Siquidem tot corporis partes, et maxime etiam distitae, interpositis nervis, mirum in modum, inter se consentiunt.

Anxietas, loca circa praecordia tensa, ac spiritus difficilis ; quod difficilè sanguis per pulmones transit, sive haec transitûs sanguinis difficultas, a constrictis aliis partibus, pulmonibusque, in eundem affectum, per consensum, venientibus, sive a plethora, facta est : Nam pulmones, in omnibus eorum ramis, sanguine turgent, neque hunc tam cito eijcere valent, ac postulat nova copia, a cordis dextro ventriculo, continenter influens. Hinc arteria pulmonalis obruta, ex hoc, totum
nequibit

nequibit, fingulis ictibus citatum sanguinem, accipere, nec auricula dextra, ob eandem causam, suum onus, in eundem, injicere; ut igitur mala supra memorata sequantur, necesse erit. Sanguinis autem transeuntis mora, difficilem spiritum, reddet. Cujus rei causa, thoracem elevare aliqua solet, ut pulmones, aëre irruente, pandantur, et crebriore anhelitu spirare, ut sanguis liberius feratur.

Intumescunt mammae frequenter, menstruis praeter naturam, et morbo retentis; magisque, sub tempus, quo emanare humor consuevit. Idem hoc, gravidis semper, et lac praebentibus, accidit. Etenim sanguis ad uterum devectus, nec erumpere valens, per anastomoses, quibus, arteriae epigastricae, cum mammariis, connectuntur, ad has refertur. Quas, in dissertatione inaugurali, praeclarus noster, artis obstetricandi, praeceptor, mihi que semper colendus, YOUNG pulchre descripsit. “Hoc commercium, “ ait, “ pendere videtur, ex aperta et fatis nota vasorum sanguiferorum communicatione: Arteriae certe epigastricae ramos emittunt, quorum alii
uterinis

uterinis junguntur; alii sursum exporrecti, anastomosi conspicua, cum mammariis coeunt; ut facile ex his in illas, et vicissim, transfundi possit humor; hinc fit, ut, occasione data, (qualis menstruorum retentio esse potest) mammae, vel majore, vel minore sanguinis copia, irrigari possint.”

Oedematosi crurum tumores, ab uteri vasis impeditis, et distentis, fiunt. Quin et gravidis idem saepe usu quoque venit. Etenim vicinis venis compressis, sanguis ad cor per eas rediens, tardatur. Qua de causa, vasa absorbentia, in easdem jam ante distentas, suum liquorem mittere, nequeunt; neque vera, ipsa quoque comprimuntur; unde membrana adiposa, humore, gravatur, in cellulis ejus, ob deficientem absorptionem, stagnante; cujus mole auctâ, inferiora necessario tumescunt.

Totius corporis lassitudinem, a plethora, vasa, potissimum capitis, nimis replente, ac nervorum dehinc officio laedi coepto, oriri verisimile est. Etenim, glandula fecernens, est cerebrum; a quo, vis nervea, quaecunque ea est, omnino pendet; cujus ope, si sanum est, et bene se habet, vitae omnia munera a-

liquis

liquis recte obibit ; ubi male idem est affectum, universum corpus laedi incipiet.

Cibi fastidium, menstruis subito retentis, proprium non est, debili et infirmo toti corpori, supervenire solet. Chlorosi affectas virgines maxime exercet, quibus vitae vis languescit, et iners fit, nec officiorum naturae ullum rite procedit. Tamen, idem hoc malum, per stomachi cum utero consensum, communicari posse, judico, ut fieri solet primis mensibus, quibus gravida est aliqua. Tertia esse causa potest, si in ea, quae pleniore corpore est, sanguinis ad stomachum nimia vis perlata est. Horum quidvis, cibi appetitum, hebetabit.

Pallor, non solum retentorum subito menstruorum, sed et fluere nondum coeptorum, quae emanationem nominari dixi, malum esse consuevit ; a proxime explicato oritur : Siquidem, cum ventriculi et intestinorum facultates languescunt, cibus in chylum rite non vertitur, nec vasa lactea, quorum imbecilla admodum nunc quoque actio est, ejusdem fatis absorbent. Quo fit, ut corpori chylus parum suggeratur ; et exigua pars, quae in vasa sanguifera recipitur, ob resolutionem, et debilitatem

bilitatem solidarum partium, in sanguinem rubrum conformari, nequeat.

E ventriculo sanguis, postquam menstrua aliquamdiu cessarunt, interdum *rejicitur*, idque magis, solitis illorum temporibus, fieri solet. Atque, hanc legem, caetera hujus morbi incommoda, quoque servant, ut, quo tempore, sanae alicui menstrua fluere confueverunt, eo omnia maxime vigeant. In omnibus enim vitae nostrae actionibus, qualia sunt, cibi somnique desiderium, mictio, alvi levatio, et similia, tanta consuetudinis vis est, ut, in bona valetudine, certis temporibus, plerumque fiant. Itaque, tametsi hic fluxus retentus est, otiosa natura non est, nititur, ut ante, sed frustra, a superiore vi, vel oppressa, vel aliquo modo deficiens, ut, suo nunc officio fungendo, parum sit habilis. Quod ubi fit, *sanguis* in aliquam partem, unde expeditissimus exitus detur, se recipit; expeditior autem, quam *e stomacho, pulmonibus, naso*, nullus est. Tenuis pulmonum fabrica, sanguinis per vasa eorum fluxionibus, prae caeteris, patere videtur; quin et officium, quo illi funguntur, in easdem, eos procliviores, reddit.

reddit. Cumque reliqua vasa, nimio sanguine, ubique turgescant, ut, per pulmones, omnis is transeat, necesse est; unde eorum vasa ita distendi possunt, ut vel, per extrema horum dilatata, id est, per διαπεδησις, ut graece dicitur; vel per vasa rupta, scilicet, per ρεξις, in bronchiorum vesiculas, sanguis percoletur, et sive hoc, sive illud factum est, excitata tussi, corpore rejiciatur.

AD hanc causam referenda videntur, haemoptoe, et phthisis, quos morbos, foeminis, toties observamus contingere.

PAULO enim post puberem aetatem, cum ad ακμην illae jam pervenerint, cohibitis menstruis, nec, impellentis sanguinis vi, vasis amplius cedentibus, hi morbi ingruere solent, et saepissime, quibus tenellum et imbecillum corpus est, aut prave conformatum pectus, eas afficere. Adeoque dire saepe grassantur, ut, nisi venientibus tempestive occurreris, frustra medicina paretur, vana omnis curatio sit.

ITAQUE hae viae sunt, quibus, occlusâ solitâ, prorumpere humor menstruorum nititur. Quod si, per alias fieri fluxum, aliquando videmus, suspicandum est, aliquo malo, sive
imbecillitas

imbecillitas, vel denique, ulcere aliquo, eas partes ante tentatas esse, atque ita factum, ut, loca illius impulsui alias non cessura, humor occupaverit. Etenim, per oculos, aures, fonticulos arte factos, et ulcuscula, quae casu fiunt, perrumpit, ut, ex multorum observationibus scriptorum, colligi potest. Memorabile, mihi, inprimis aliquid, narravit, amicus meus JOHANNES MORGANUS Pensylvaniensis, qui, his in scholis, medicinae studiis, diligentissimus incumbit. Paucis abhinc annis, cum in exercitu nostro, contra Gallos in America habito, medicinam tractaret, curasse se mulierem, immundo fordidoque ulcere, in altero crurum, diu jam vexatam; cui, inter castra sequenda, frigidibus affectae, menstrua quoque suppressa esse; interpositâque certi alicujus temporis morâ, ut illorum jam reditum speraret, die legitimo sanguinem ex ulcere prorupisse, eadem copia, qua, ex utero, morbo, nunc penitus occluso, fluere consueverat, pariterque diu mansisse; similiter etiam quendam, in parte affecta, tensionis et insolitae plenitudinis, sensum praeciisse; perque multas vices, easdem vias repetivisse,

tivisse, debitis semper intervallis, redeuntem, et abeuntem; nec prius ad loca naturalia remeasse, quam, sanato ulcere, sordibusque corpore purgato, firmata mulieri valitudo est.

MALA HYSTERICA hunc morbum saepe excipiunt, magis, si diu duravit, nec medicamentis cedere potest. Quod nemini mirum videbitur, si, quam mobiles mulierum universi nervi sint, quamque, omnium partium cum utero, insignis consensus, reputat. Quaecunque enim pars constricta est, alias plurimas, atque etiam totum corpus in consensum, trahet. Itaque HOFFMANNUS “est quoque,” inquit, “lex firma et constans naturae, quod vehementior spasmus, membranis nervosis insidens, vitiosum hunc motum, per universum saepe nervorum, ac membranarum compagem, mirifice propagat.” Signa autem non minus variant, quam partes affectae, omnium, quibus corpus humanum subicitur, morborum, in faciem, abeuntia. Si renes vel ureteres affecti sunt, nephritica omnia se ostendunt; si thoracis viscera, in pleuresios, vel

vel peripneumoniae imaginem, vertentur ; quando oesophagus, aut canalis alimentarius, correpti sunt, globus hystericus, et interdum coli vel ilii mala prodibunt. Quod si quando infirmum admodum corpus est, hic morbus, PROTEI instar, cujus cujus partis inflammationem, solerti imitamine, aequabit. Optime igitur SYDENHAMUS, memoria haec teneamus, admonuit, omnia, a solis menstruis cohibitis, et corporis mobilitate summè irritabili, oriri, nec singula singulas desiderare curationes. Quam sententiam sua confirmavit BOERHAVIUS, qui in aphorismo 1292, “sublata hac morbi scaturigine,” ait, “solent omnia fere mala sponte evanescere.” Ideoque, ut haec malorum caterva debellatur, morbi, a quo pendent, tollendi, optima ratio quaerenda est.

P R O G N O S I S.

SI menstrua leviter, nec diu retenta sunt, si tempus anni secundum est, et mulieri aliàs bonus corporis habitus, tranquillus animus,
sperari

sperari licebit, ad solitos circuitus, illa reductum iri. Contra, si, ex subito aliquo violentique casu, compressa fuerunt, si accessiones hystericae crebro fiunt, et caetera mala augentur potius, quam minuuntur, si imbecillum corpus est, ut, a minima quaque, et levissima re, turbari soleat, atque, a prioribus morbi insultibus, valde debilitatum, si in subitos motus animi proclivis mulier, frequentiores, et violentiores accessiones, a levissimis casibus, excitatae, fient. Quinetiam mala hysterica, tametsi plus terroris, quam periculi, adferre solent, hoc tempore, cum haec, tum reliqua a morbo excitata, pertinaciora, et periculosiora erunt, minusque certam curationem, et difficiliorem reddent, cachexiam, melancholiam, furorem epilepticum, schirros, et alios uteri tumores, sterilitatem, hydropa, nonnunquam inferunt, et plurima praeterea mala trahunt.

METHODUS MEDENDI.

QUONIAM, a causis inter se admodum diversis, hanc fieri retentionem, ostendimus, ita, prout haec, aut illa fuerit, medendi ratio

tio variare debet. Itaque haec tria faci-
enda videntur.

MINUENDA plethora ;
SOLVENDUS spasmus ;
ROBORANDA inertia.

MINUI autem plethora potest, triplice
modo, venam secando, alios humores, per
excretionem aliquam, corpore educendo, ab-
stinendo.

SI morbi fons, in corpore nimis pleno, fuit,
humorum copiam, sectâ venâ, minuere con-
veniet, ut vasa, quam citissime, leventur, vis,
horum latera nimis distendens, tollatur, et,
in sanguinem, eadem haec validius agant.
Ubi hoc factum est, sanguinis impetus auge-
bitur, quodque inprimis desideratum est, hoc
solum, saepe retentum hunc humorem, sol-
vet, et, ad sanitatem mulierem, reducet.

QUINETIAM minui plethora potest, alios
humores corpore educendo.

PRAE caeteris, purgantia, huic rei apta
sunt; quae, quanto magis, secretiones, et
excretiones, augment, tanto minus humor-
um abundantium intus, relinquunt.

POSTREMO

POSTREMO cibus exiguus sumendus, ne, nimia chyli copia addita, vasa iterum nimis quoque impleantur.

SPASMUS solvi potest, vel constrictione vasorum solvenda, vel augendo sanguinis impetu.

CONSTRICTA vasa solventur, si vena secta fuerit, quod, vi antispasmodica, plane pollet.

SEMICUPIUM, idem, quoque efficiet; etenim fieri potest, ut hoc remedium, sua actione, vel, vasa inferiorum artuum, relaxando, ad arterias iliacas majorem sanguinis vim, revocet; vel, sanguine rariore facto, ejus molem, augeat, majorique vi et copia, eum ad uterum deducat, vel, gratum univervo corpori sensum, praebeat; certe somnum plerumque invitat. Vi autem sedante, praecipue, semicupium, constrictionem vasorum, adimere, credimus, dum vel recta in eadem, vel per consensum, agit; hujus autem balnei calor, humanum tantummodo paulum, superare debet, raro autem, vel nunquam, ad FARENHEITIANI thermometri centesimum gradum, ascendere. Post hujus usum, cavendum erit mulieri, ne frigori se exponat,

nat, frigus enim morbum auget; nec minus, stragulorum in lecto, nimium onus, vitandum est, ne sudoris copia exprimat; siquidem omnis sudor erit inutilis, idemque diutius manens, aut saepius rediens, imbecillum corpus, inersque reddet, maximeque nocebit.

ANTISPASMODICA ea quoque adhibenda sunt, quae, proprietate stimulantem, et sedantem, simul pollent; quorum in numero, perhibentur, aristolochia, fabina, assa foetida, moschus, castoreum, et omnia ea, quae emenagoga vulgo dicuntur.

SPASMUM porro solvunt opiata; prius vero, quam horum auxilium petatur, certi esse debemus, non esse mulieri diathesin inflammatoriam, quae si abest, interdum haec profunt; in stomachum potissimum agere, ac uniuersorum nervorum sensibilitatem hinc minuere, videntur; et praeter hoc, vi eorum sedante, uteri vasa, molesta constrictione, liberare, ut locus deinde sit stimulantium medicamentorum usui. Eadem utilissima erunt, ubi, ex subito aliquo casu, humor menstrualis cohibitus est.

EODEM quoque pertinet electricitas, quae, subita, et violentissima, sed brevissima, vi, universos nervos, afficit; in malis paralyticis, ut DE HAEN, aliique testantur, levandis, utilis; nec inutilis, in menstuis retentis, interdum videatur, quanquam, ad ejus opem raro, confugitur; plurimis rebus hoc probare possum, quarum una contentus ero. Hac in urbe, tertio abhinc anno, virgo novemdecem annos nata, hystericisque accessionibus, ex menstuis diu et totis retentis, crebro petita, in nostrum nosocomium, venit; medicamentis omnibus, quae ratio sagacissima, aut insignium in arte virorum summa experientia, explorare potuerunt, frustra tentatis, tandem ad electricitatem decurritur; qua concussae puellae, ilico fluxus naturalis rediit, debitisque, per trium mensium spatium, intervallis, naturae parere perstitit. Domum abiit, cohibitis autem, proxima hieme, menstuis, et reliquis recurrentibus malis, virgine, in nosocomium iterum recepta, aliisque remediis plurimis frustra adhibitis, ad electricitatem, ut ante, recurrerunt medici; qua leviter concussae, et simplice quidem vice, priusquam

usquam cubiculo exire potuit, fluere menstrua coeperunt; idem, sequente mense, factum est, eodem cum successu.

SANGUINIS, in constrictis vasis, impetus, duplici modo, augetur; derivando eundem, majori copia, in vasa uteri; eadem vasa, excitando.

UT sanguis in uterum derivetur, in aortam descendentem, idem prius ducendus est, mulier fricanda, fovenda, purganda, urina ei movenda; vel iliaca vasa comprimenda.

IN aortam descendentem, sanguinem, cogit, abdominis, et artuum inferiorum, frictio, haec enim, sua irritatione, et impulsu, sanguinem citabit, largioremque, per aortam descendentem, copiam deducet.

EODEM spectat femicupium, de quo ante.

ADHIBENTUR etiam purgantia, hoc consilio, ut rami, ab aorta descendente, venientes, stimulentur, unde, ad uterum, idem stimulus perveniat; atque, hoc in morbo, purgantia acriora, nonnulli praeceperunt; verum, cum eae, quae hoc laborare solent, imbecilliori fere sint corpore, cavendum est, ne, acriter purgantibus datis, in gravius ali-

quid periculum, incidant; quando igitur purgandum videbitur, ab iis, quae leniter hoc faciunt, incipiendum est, scilicet, a sulphure, salibus, qui neutri dicuntur: Validiora sunt gummi foetida, quae, et, pro stimulis, agunt, et spasmos solvunt; cujus ordinis, princeps est assa foetida, et, saepissime adhiberi, solet.

URINAM moventia, idem, quod purgantia in retentis menstruis, praestant, scilicet, sanguinem, majore copia, in aortam descendentem, derivant, et, in urinae vias agentia, prodesse possunt.

IN hac distinctione, comprimenda iliaca vasa, diximus. Quod si arteriae femoris, fasciis huic circum datis, arcte ligantur, magna spes est, repelli, in arterias hypogastricas, ac proinde, per solitas vias, fluere, cohibitos humores, posse; utpote cum major, quam ante, sanguinis copia, ad uterum, derive- tur. Fascias interdum multum, aliàs vix, aut nihil, profuisse, vidi; saepius tamen, quam solet, harum periculum, fieri, debet, praesertim, in menstruis subito retentis; quanquam mulieres fere omnes invitae, se sic ligari,

gari, patiuntur; sed, ubi diu cohibita sunt, aut etiam in emanatione, quam diximus, minor spes erit, hoc consilium profuturum. Nec, fasciarum usui, nimis insistendum est, ne, majori, magisque, quam par est, subito, sanguinis copiâ, in vasa lateralia, revocatâ, haec prius disrumpantur, quam, paulatim distenta, dilatentur.

VASA uteri excitare possunt, primum medicamenta, quae, specifico in uterum stimulo, agere, dicta sunt; deinde sanguinem, per corpus, ac proinde in utero, citantia; tum ipsum uterum rectâ stimulantia; postremò, vicinas partes, et hunc per consensum, afficientia.

VASORUM uteri actionem, stimulant quidem, ea, quae supra, inter antispasmodica, enumerata sunt; et, praeter haec, alia plurima, ut crocus, myrrha, et similia; verum, sint omnino specifica, quae dicuntur, necne, jure dubitare, videor; si unum excipias, ab omnibus fere, qui hunc morbum tractarunt, laudatum; laudibus id multis HIPPOCRATES prosequitur; laudat VALESCUS Tarentinus, et, nubere mulierem, et morbum fugere,

gere, jubet. Itaque, si quid aliud, hoc, five emanagogi, five specifici, titulum, mereri, sane videtur, ut HOFFMANNUS, aliique scripserunt, ipsaque experientia confirmat.

ACTIONEM quoque uteri vasorum, excitabunt, sanguinem, per reliquum corpus, citantia, qualis est exercitatio, victus uberior, calida, et aromatica omnia, et consimilis vivendi ratio ; postremo vomitus, qui, corpus agitando, idem efficiunt.

IPSUM uterum recta afficiunt, quae ipsi insinuantur, et quorum stimulus, ad eum, statim pervenit. Horum praecipua sunt, varia in uterum, prout occasio postulet, injecta ; pessi, et, acrium plantarum, fumi ; nicotianae fumi utiles fuerunt, in spasmodicis intestinorum malis solvendis, et, prodesse in similibus uteri, possunt.

POSTREMO, in vicinas utero partes agentia, ipsum per consensum afficient. Hinc purgantium usus utilis, utilissima aloe, quae, vasa stimulando, et, in intestinum rectum, potissimum agendo, huic vicinum uterum, afficit, sanguinem quoque rariorem, facit. Ob quas causas, in haemorrhoidibus

bus semper, aut, ubi periculum est, ne illae incidant, omittitur. Certe, fluxi menstruorum movendo, inprimis apta est; atque, hoc insuper commodi, habet, ut, parvis portionibus, aequè tutò et certò agat, ac majoribus sumptum. Quoniam autem, datis catharticiis, sanguinem in uterum citare, volumus, hoc eadem optime praestabunt, si, pro enematis, adhibita fuerint; sic enim eorum actio, ad intestinum rectum, melius dirigetur, et, ad uterum, stimulus expeditissime pertinet.

URINAM etiam moventia, iterum petenda sunt, supra vero memoratorum, efficacissima vi, pollere, cantharides, repertae sunt, quae, dum vesicae cervicem stimulant, manifestius etiam, in uterum agere, siquidem libidinem excitant, videntur; tamen, ubi hoc utimur medicamento, cavendum est, ne, nimio ejus usu, stranguriam temere, excitemus.

MEMORATIS rebus, et medicamentis, quibus, praestare conandum sit, quod, in secunda, de via medendi, distinctione, propositum est, alienum non videtur, insuper addere,

re, frustra omnia fore, nisi, naturae tempore, fiant. Quando igitur, medicamenta dari, oportebit, memoria semper tenendum erit, catamenia, si sana mulier est, certis tantummodo temporis intervallis, fluere, si occlusus hujus humoris fluxus, morbo, est, iisdem tamen, quibus ante, naturam utique impetum facere, ut per naturalia is erumpat. Nec, aliis temporibus, sane sollicitandam illam esse, quam, quibus, ipsa quasi signum dat, ut sibi succurratur; quod si quis aliter fecerit, efficacissima medicamenta, nihil, efficient. Porro observatu dignum est, si, tempestatum anni, delectus permitteretur, prae caeteris, ver eligendum fore. Vere enim, animantes omnes, atque ipsa vegetabilia, miram aliquam mutationem, subeunt; sanguis in illis, in his succus, majori impetu, per vasa, feruntur; sicut, in haemorrhagiis adolescentium, et in citatiore vegetantium succorum cursu, cum, verno tempore, gemmata et flores, haec emittunt, conspicitur. Vernus calor, ut vegetabilia fovet, ita quosdam sensus peculiares, in utroque hominum sexu, aliorumque animalium, vehementiores, quoque excitat, si quis, hanc occasionem forte oblatam,

oblatam, et tempora, de quibus supra dictum, recte servaverit, omnia fortasse, ad sententiam, procedent, neglectis iisdem, vanos suos labores, cassosque, videbit.

AD ultimam triplicis divisionis partem, perventum est, et, quibus modis solida firmari queant, dicendum.

SIQUIDEM, ab inertia sola, vel quadam solidarum partium, aut etiam ipsorum vasorum debilitate, ut illa sanguinem parum incitare queant, humor saepe retentus est, perinde ac, in morbo, qui chlorosis dicitur, aut, ubi menstrua diu retenta fuerunt, fieri solet, eligi ea debent, quae, has partes roborandi, et firmandi, vim, possident, qualia sunt, ferrum, amara, corpori aqua frigida circumfusa, exercitatio.

IN omnibus, quae ex ferro parantur, vis adstringendi inest; utque in rigiditate ea adhibentur, quae, nimis potenter, non agunt; sic, in debilitate, aut resolutione fibrarum, nimis subito constringentia vitanda sunt.

PRINCIPIO igitur, usurpentur, ferro leviter praegnantia, parvisque portionibus, eadem saepius repetantur; aquae chalybeatae optimaе hujus generis sunt.

SI imbecillus, ut saepe, stomachus est, amara, non immodice sumpta, hunc, roborabunt, et, cibi appetitum, creabunt; amara haec sunt, cortex limoniorum, aurantia amara, quaeque Curaflavensia dicuntur, gentiana, centaurium minus, quibus tamen omnibus, cortex Peruvianus praestat; quippe qui, adstringendi et stimulandi vi, pollet, optimaque est medicina tonica, ideoque, in robore, resolutis, vel debilibus solidis, restituendo, plurimum. valet.

INTERDUM et, aquae frigidae corpori circumfusae, quae subito stimulat, et solida firmat, ut nemini non notum est, periculum facere, non erit inutile.

QUID efficiat exercitatio, supra dictum est. Jamque restat, ut, de paroxysmo hysterico, pauca dicam.

SIQUIDEM globus hystericus, quo minus aliquid ore assumatur, obstat, alia huic morbo occurrendi ratio excogitanda, alibi corpori medicamenta admovenda, ut salia alcalina volatilia, naso; quae ibi diutius teneri non debent, ne expirationi officiant, corium, et alia combusta eodem adjecta, profunt; si abdomen,

abdomen, ut saepe fit, afficitur, perfricandum id aliquamdiu, oleo camphorato, est : Si in colo, ut observatum aliquando est, morbi fons latet, ex gummi foetidis, castoreo, myrrha, camphora, cum laudano liquido, composita, quae per totos hujus intestini anfractus penetrant, per anum optime, immittuntur. Inferiorum, vel pedum, lavationes, statim ante accessionem, adeo insigniter, eam instantem, movent, futurae occurrunt, ut jure hae quoque laudentur.

PROPOSITUM tandem, quanta potui brevitate, absolvi ; nec dubium est, quin, minus caute plurima dicta, legentes inveniant ; quae, cum vitare is vix possit, qui in lucem, scribendi infuetus, aliquid edit, ut sibi condonentur, orat. Quod si quid omnino non reprehendendum visum fuerit, id praeceptis utilissimis, quibus, eum, egregii viri, in his illustribus scholis, mendendi artem docentes, imbuerunt, acceptum referendum, fatetur ; quibus, ob consiliorum fructum,

fructum, amicitiarum decus, et multa in se
collata beneficia, gratias agit, habet, gratum
animum refert.

F I N I S.



